

26c. 70.



11

D. CHRIST. AVG. CRVSI
M O N I T A
D E
C O S M O L O G I A V E R A
E T
A D A E Q V A T A.

PVBLICE PROPOSITA
DIE MEMORIALI REFORMATIONIS ECCLESIAE

A. N. C. CIOIOCCCLXXII.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .



Frequens et celebre inter philosophos est *cosmologiae* nomen, quo imprimis insignitur pars metaphysicae, id est illius scientiae theoreticae, quae tractat de primis rerum principiis atque vniuerse de iis, quae necessario esse intelliguntur. Sed ipsum nomen poscit, ut in illo quoque philosophiae genere, ubi de contingenter existentibus agitur, videlicet in physica, eodem nomine veniat disquisitio de systemate rerum, quale vere est. Inde fit, ut pars physices, quae de dispositione et motu corporum mundi totalium agit, *cosmologia physica* appelletur. Est igitur generatim *cosmologia* doctrina de systemate mundi, qua agnoscat, quibus modis et quo consilio ex his, quibus constat, partibus vniuersum hoc aptum et coagmentatum sit.

Tunc vero *cosmologiae* descriptio *duplex* nascitur, altera qua fit doctrina *de mundo vniuerse*, altera qua fit expositio *de mundo qui vere est*, eiusque constitutione et scopo. Scilicet secundum illam, quam primo loco posui, conquirimus in *cosmologia*, quantum homini de eo, quod in constitutione mundi necessarium est, nosse datur, sed secundum alteram descriptionem *cosmologia* tractat rerum, quae simul sumtae mundus dicuntur, eam indolem, quae reuera est. De hac non in antecessum sumi potest, quod quidquid in mundo fit, fiat necessario, potius talis sumtio a sensu et intelligentia communi abhorreret. Qui rerum omnium necessitatem inducere velit, eum de principiis cogitare oportet, quibus superstruere suam opinionem velit, qualia nunquam legitime reperiet. Precario eam sumere non licet, quod nihilo secius fieret, nisi duplex illa, quam diximus, *cosmologia* accurate discerneretur. Teneamus iam alteram significationem. Sit nobis *cosmologia notitia vniuersi, quale reuera est*, et per praesentem scribendi occasionem constituimus monita quaedam cum ciuibus et fautoribus nostris communicare, quae agant de *cosmologia vera et adaequata*.

Si enim, quod sane ita est, nequaquam decet hominem prudentem, nedum literatum, subsistere in rebus, quae sensibus subiectae sunt, sed ad cognitionem oportet aspirare, qualis rerum compages sit, et quorum tendat; quo cognito, dummodo id reperiri possit, iudicari demum fas est, quid officii nostri sit, quidque in omni vita humana in vitio sit ponendum vel in laude, ubi vero detegi nequeat, saltem hoc ipsum constare debet, quod nequeat: mirum potest esse nemini, quod omni tempore homines docti *de rerum vniuersitate* multa disputarunt, quod quando fecerunt, alicui *cosmologiae* operam dedisse dici possunt.

Atque in omni tali conamine meditatio cum historia coniungi debuit et coniuncta fuit, estque etiam *historia vniuersalis* pars *cosmologiae*, quem-

quemadmodum ad illam pariter *historia naturalis* complexe spectata referenda est. Scilicet cum sensu perceptis, quae vel nos ipsi percepimus vel ab aliis accepimus, contendi debent res magis reconditae, quae mentis acumine perspiciuntur. Qui solo sensu acquiescat, is ne quidem ad sapientiae laudem adspirat; sed qui sola meditatione sine experientia et historia res, quae vere sunt, excogitare ausus sit, fortasse nunquam fuit, quamquam saepe fuerunt, qui suo ingenio nimis freti essent, et de incognitis vel incertis audacter pronuntiarent.

Non iam commemorabimus prorsus portentosas opiniones veterum gentilium, nec non omnis aetatis hominum varii generis profanorum aut fanaticorum, de systemate mundi, quae suo loco enarrantur, in quibus nihil veritatis inest. Sed notatū dignius est, quid opus sit, ut cosmologia non male instituta *adaequata* sit. Videlicet hoc nomine notitia vniuersi dici poterit, si eo vsque est determinata, ut iudicari queat de rebus, quae nobis ad recte agendum et ad mentem tranquillandam scitu necessariae sunt. Etenim multi nunc sunt, qui sapere adfectant sine verbo diuino, nempe sine reuelatione, quae supernaturaliter facta sit, ideoque sine Scriptura S. quae sola est illa reuelatio diuina, cuius diuina origo argumentis inuidis nritur, atque certa est, dummodo ne in animo percipientis impedimenta obsint, quae non permittant, ut euidencia illa sentiatur. Hi ergo ante omnia excitandi sunt, ut animaduertant, quam manca et insufficiens sit cosmologia, quae ignoret, quae scire nostra cum maxime interest, cuiusmodi sunt sequentia.

Vnde, quaeso, est tam *corruptus hominum status*, tanta a bono auersio et declinandi facilitas, tanta ad malum procliuitas, stultaque et insana ad malum adhaesio? Nam sine impudentia a nemine negari potest, quoniam plena querelarum de his malis est omnis vita communis, atque constans et perpetua omnium gentium temporumque querimonia. Vnde *moriendi necessitas* hominibus imposita est, ut communem eam habeant cum naturis multo inferioribus? Ab his enim sine dubio discerni debuerunt, si sapiens sit vniuersi conditor; sed ne esse quidem homines nec intellectu praediti esse possent, nisi originem suam creatori sapienti deberent. Item *post mortem quid nobis fiet?* Quod natura cogitans, quae sui sibi conscia est, quae apta est ad scopum aeternum, et sola apta est, quae ipsam immortalitatem appetit, idque instinctu congenito, quae dominatur in res ratione vel vita carentes, et sola dominari valet, quod talis, inquam, natura cogitans amisso corpore, quo quasi vestitur, superstes futura non sit, vnde probabitur? Sin vero erit, quo loco et statu erit? Nam in tanta actionum diuersitate non eadem fors et conditio potest omnium esse. Docet vero ipsa naturae nostrae contemplatio, naturaliter

turaliter necesse esse, vt miserrimus sit animae status post amissum corpus. Nisi enim mere audeamus fingere, et improbabiliter etiam, refragante physica et experientia, fictos homines inducere velimus, figmenta autem illa propterea pro veris haberi posse existimemus, quoniam mente concipi queunt; non aliter statui potest, quam miseram esse animam naturaliter, quando priuata est corpore, cuius ministerio vidit, audiuit, egit. Nam in corpore dum habitat, caeca est amissis oculis; an non ergo caeca etiam erit, quando oculis vna cum reliquis membris simul caret? Neque magis audiet, sed furda quoque et vniuersae ad agendum extra se inhabilis erit, nisi Deus aliud quidpiam prouiderit, quod vel naturale non est, vel certe nobis naturaliter incognitum est.

Addamus aliud exemplum. Quid mirabilius est, quam quod generatione ab hominibus homines oriuntur, nec vniquam aliter, testante omni historia et experientia? quodque nihilo secius innumerabiles res ignobiliores, quibus homines vtuntur, bestiae et vegetabilia, quae res quasi regionem dominationis humanae in mundo efficiunt, pariter non nisi generatione existunt, et a sui similibus originem ducunt, eaque in re hominibus assimilantur, qui prae istis tamen infinite eminent naturae praestantia? Quam ob causam hoc ita dispositum est? Nam debet aliqua grauis causa subesse, et Deus nulla fere in re tam propinquet et proxime negotiosus intelligitur, quam in generationis systemate. Conditiones enim, quibus generatio contingit, regulas suas strictissime seruant, easdemque regulas ab vltimo tempore prorsus eodem modo secutae sunt, veluti quod homines non modo semper iisdem conditionibus, sed et iusta nascuntur proportionem, vt vterque sexus pari fere numero permaneat. Attamen de eo, quod gignitur, ne notio quidem gignentibus est, non organa illis sunt ad formandam corporis fabricam apta, multo minus in illos cadit efficiendae mentis facultas, et mentis quidem, quae gignentium naturae similis sit. Quocirca etiam fit, vt incredibili stultitia et temeritate homines versentur, quantum ad ipsam generationem, suamque, qua alioqui superbiunt, naturam summo adficiant dedecore, et perpetuo loquantur faciantque, quae secum inuicem vehementer pugnant. Nimirum bonos volunt ciues et magnificiunt naturam humanam, sed negotium generationis hominum tractant vt rem ludicram, vt libidinis pabulum, in quo ludant et petulantiam exerceant. Fit autem hoc, quia illis tam familiare et dulce est ignorare Deum nec quidquam pensi illum habere, et ne quaerere quidem de causis statim ordinis naturae, scilicet ne cogantur casti et religiosi esse.

Terram videmus tam ruptam laceramque, vt credible non sit, eam semper sic comparatam fuisse, nec probabile, eam ab origine sic efformatam

V

matam esse. Corpora coelestia intuemur, quorum luce et calore utimur, quaeque praeterea ad aestimandas plagas mundi et tempora discernenda nobis utilia sunt, et ita illis opus habemus, ut ne per vnum quidem diem carere possimus. Quam mirabiles sunt eorum cursus, stationes, reuolutionum ordines, sed difficiles explicatus! natura vero et indoles eorum praeter paucas vel obseruationes vel coniecturas ignoratur. Annon quum vita nostra ab illis pendeat, credibile etiam est, conditorem totius mundi tale opus instituisse et persequi, ad quod perficiendum arcta et multiplex omnium operis partium copulatio faciat reuera, nec in rerum illarum dispositione quidquam vsu et ratione careat? Ad veram cosmologiam igitur pertineret, talia exponere, et de consiliis diuinis rationem reddere.

Enimuero absque verbo diuino id nequaquam fieri potest. Quapropter aliud effugium excogitarunt, qui illo uti nolunt, animumque habent ad gustandam veritatem illam indispositum. Scilicet fatentur creatorem, mirantur artem, qua corpora fabricata sint, sapientiam Dei in ore habent, depraedicant benignitatem, sed scopum vitae humanae, quem Deus sibi proposuerit, ignorari putant. Semper occinunt illud Q. Ciceronis (lib. I. de diuiuat.) non ista me scire, sed his me uti Deus voluit. Vnice id agunt, ut cum voluptate et ex suo quisque arbitrio viuant, virtutem vero in tali viuendi ratione ponunt, quae probabiliter ad hoc faciat, ut illud ipsum fieri possit tuto diuque, et a quam plurimis simul. Quare diligenter inculcant, non poscendos esse meliores homines, quam finxerit natura. Passiones animi et cupiditates, quas superstirio prauitatis accuset, contendunt bonas esse, etsi alias per omnem vitam communem de hominum malignitate ipsimet queruntur. Sed tunc immemores sunt iudicii sui, quo alioqui vtuntur, quando naturalissimum commendant, et eiusmodi philosophiam prae se ferunt, quae verae et adaequatae cosmologiae et morum doctrinae ita sufficiat, ut, quod non docuerit illa, et ingeniose potius quam subtiliter et accurate doceri volunt, id vel falsum sit, vel certe eiusmodi, quo facile careas, vel quod prorsus superuacuum fit.

Poterat autem non difficulter a priori perspici, determinatam notionem de scopo, propter quem mundus conditus sit, et ad quem dirigantur res vniuersae, non intelligi posse ex sola operis diuini contemplatione, quatenus sensibus nostris subiectum est, et quatenus sensu perceptis superstruimus abstracta nostra et ratiocinia. Quo concesso statim intelligitur, non philosophiae esse, veram et adaequatam perficere cosmologiam. Scilicet metaphysica contenta esse debet paucis illis de mundo conceptibus, qui ut veritas necessaria intelliguntur. Physica vero et historia vbiuis

VI

exhibent quidem materiam, quae vsui sit in indole mundi et consilio Dei accurate perspicendis, sed neutiquam dare et conficere solae possunt iustam cosmologiae perspicentiam, quae determinata factis et ad vsum vitae humanae et consequenda bona nobis proposita accommodata sit. Nam rerum constitutio pendet ab arbitrio creatoris. Sed neque arbitrium illud consiliumque libere captum coniectura quisquam assequi potest, neque vniuerse existimare licet, omnes et singulas creatoris qualitates ex opere eius intelligi posse. Veruntamen illae, quae contemplandis operibus Dei intelligi non possunt, bene possunt attinere ad scopum operis diuini, et sigillatim ad iudicandam hominum destinationem, sed reuelatione innotescere debent, quousque cognitae esse debeant. Cur enim Creator non hoc ipsum propositum habere potuit, docere creaturas rationales dupliciter, verbo et factis, atque etiam agere bifariam, per constitutum naturae cursum et suo actu praesenti? Accedit, quod, posito mundo, necesse est libere agere spiritus rationales, attamen hi soli pro scopo creatoris, nempe pro fine obiectiuo, accipi fas est. Gubernatio autem mundi neutiquam fieri potest absoluto decreto, sed oportet spectari statum creaturarum morale, quaeque vel optabilia vel aduersa cuicumque spiritui decernantur, decerni pro eo, ac fecerit bonum, vel malum commiserit. Quamobrem quum Deus omniscius omnes omnium actiones praeuideat, quin immo praesciat, quid facturus fuisset vnusquisque, si aliis, quam vere vixit, conditionibus vixisset; certissimum est, determinatam regiminis mundi ideam dari quidem in antecessum posse a Deo, si dare velit et quoad voluerit, sed sine Dei verbo per philosophiam nullo pacto expediri posse.

Quod vt clarius perspiciatur, exemplo vtamur. Comparemus ciuitatem Dei, videlicet vniuersitatem regiminis, quo rationalibus spiritibus imperat, et Dominus illis est, cum regno mundano. An statum Germaniae, an ius publicum imperii Romani, quisquam aliter scire potest, nisi historice? Docte scit, si praeter res gestas et historiam terrarum, legum, constitutionum, morum, rationes quoque veras aut probabiles harum rerum perspedas habeat. Sed res ipsas profecto non aliter cognoscere potest, nisi historice, quin etiam recte et ad multa vitae praedicae negotia vtiliter iam cognitae eas habet, quando historice nouit, quae et quales sint, etiamsi causas ignoret. Quis vero ferret et non stultum putaret hominem, qui diceret, se promptum esse ad constitendum ius publicum Germaniae, sed antea probandum illud esse, se vero nolle probationes historicas, quibus vulgo vtantur, sed poscere philosophicas rationes, metaphysicas, mathematicas, quas diiudicare valeat sine infinito illo apparatu historico, cui non vacet operam dare, caeterum se nolle in-

inficiari laudes sic dicti Imperatoris, vel sic dictorum Principum Germaniae reliquorumque sic dictorum Statuum imperii, quod sint mansueti ingenio, benefici, liberales, si modo sint, quippe quod haecenus nemo aliter nisi historice probauerit, ideoque neququam eo modo, quem ipse postulet, et qui dignus sit homine, cui erectum sit ingenium, sed cui non sit tempus ad magna volumina legenda, nec ad disputandum super innumerabilibus quaestionibus, veluti de iuribus Papae, an pacem religionis causa inuita recte queat irritam facere, possitne is imperare Regi Germaniae, an hic sit Dominus Papae, et ne Imperator quidem Romanorum appellari posset, si nulla ipsi in urbem Romam dominatio iure competeret, et quae sunt reliqua.

Sed, arrigite aures, o Ciues, estne alia profanorum vox, quae quotidie auditur, et in virulentis scriptis, in vernacula exaratis, ad infimae plebis aures peruenit? Ista voce sollicitantur homines ad contemnendam religionem, et ad sentiendum cum profanis fide illa sic dicta carbonaria. Scilicet quemadmodum carbonarius Bohemus, quem propterea laudat Cardinalis Cusanus (in epistolis ad Bohemos) dicebat, credo, quod Ecclesia credit, sic nostri temporis profani homines dicunt, credo, quod credunt luminosa tempora nostra, aut potius, nil credo, quia nil credi vult hoc luminosum tempus nostrum. Nam quibus rationibus vel credatur vel non credatur, aut tales homines non curant, aut efficiunt moribus suis studiisque, vt ne cognoscere quidem possint. Magna fiducia recentissime aliquis se iactauit naturalistam, subfannauit Euangelium et historiam Mosaicam, quoniam dogmata Christiana hucusque a sic dictis orthodoxis non nisi e sacris bibliis probata fuerint, quae ipse non admittat, cui comperat tam felici esse, vt sit naturalista. Sed cur detrectat admittere? Nam res sola reuelatione cognoscibiles quomodo magis sine Scriptura S. cognoscet, quam quisquam ius ciuile vel publicum sine historia? Quid ergo? Relinquitur, quod etiam impudenter postulat, vt diuina origo sacrarum literarum antea doceatur, quod haecenus nondum sit factum. Estne credibile, causam, quamobrem Scripturae S. non credit, sitam esse in libris sacris, vel in tot scriptis, quibus auctoritas eorum diuina clarissime ob oculos posita est, nec potius in hominis animo? Nam quae ipse ex sacris libris allegat et interpretatur, indicant, quam fugitiuo legerit oculo, forsitan etiam duntaxat particulas has vel illas legit, quam incurius ipse, quam intentus ad alia omnia, at quam turgidus sit et fretus se ipso sodalibusque.

Vel si alio libet exemplo vti, quoniam in mundo, tamquam in magna domo a Deo structa versamur, cogitemus, quid sibi opus esse ducant peregrinantes, quando peregrinas obeuntes regiones lustrant

me-

VIII

memorabilia. Qui arcem vel quodcumque aedificium regium et illustre vifitat, poteritne sine duce et comite, qui ore et sermone scopum structurae et partium conclauiumque praecipuorum destinationes edifferat, sua sagacitate coniectando illuc pertingere, vt aedificii rationes et vsum determinate intelligat? Cognoscet quidem, etiam non monitus neque adiutus, quod rex talium conditor opulentus fit, quod decus regni fuis, quod monumentum maiestatis extare voluerit, sed de scopo determinato, cui vel totum aedificium vel partes singulae destinatae sint, vel nihil vel non certo intelliget, nisi fit, qui peregrinum contemplantem ducat, et verbis edifferat, quae ad rem pertinent. At praefecto tales sumus immensi operis Dei contemplatores. Vagatur in mundo, pererramus has vel illas regiones, atque etiam verum esse potest, quod ex contemplatione intelligimus, at minutum praefecto est. Ob oculos nostros mundus est vt aenigma, opus tamen immense patens. Quamdiu plus non perspiciamus, quam forte, quod auctorem illud prodat, cui fit sapientia potentiaque tanta, quaecum nihil humanum comparari possit, communem etiam omnium benefactorem, saltem quousque nobis bene est, perparum sane intelligimus. Plura si cognosci debent, opus est, vt Deus ipse reuelatione aperiat, quo consilio molimina tanta coeperit, et quorum illa tendant. Quando igitur certo constat, esse tale Dei verbum, sed certissimum est, illud extare in sacris literis; sapientis est, ad singula eius verba animum attendere, e contrario negligere eloquia Dei stultum est, et quidquid contra illa statuitur, est nugatorium.

Itaque quando ignoratur, negligitur, peruertitur ea pars notitiae ad veram cosmologiam pertinentis, quae e reuelatione Dei petenda est; *alius fingitur mundus, quam reuera est.* Ridentur iam, qui in eo scientiae cosmologicae genere, quod soli philosophiae et humanae historiae subiectum est, inhaerent erroribus, quos repudiant docti, veluti si antipodes negant, si rorem a luna, fortunam aduersam a comeris deducunt, et quae similia sunt. Nempe imperiti homines alium fingunt mundum opinionis errore, quam esse norunt periti. Vtinam qui verbum Dei in sacris literis aspernantur, agnoscerent, se in eodem vitio esse et in errore non ab simili versari! vtinam in tali causa non errore multo maioris momenti abducerentur! Mundum enim fingant sine Filio Dei, qui principium operis et scopus est, sine angelis, videlicet sine copiis illis sanctis coelestibus, et sine angelis peccatoribus, magnoque generis humani aduersario, qui ebraico idiomate satanas, graeco diabolus vocatur. Genus humanum, nescio quam multiplex, comminiscuntur, quod non ducatur ab Adamo. Negant corruptum hominis statum, praecipue vitia congenita, eorumque vim, qua fit, vt sibi relictus homo ne redire quidem

quidem ad veram virtutem valeat, sed, quando praeclare agitur, in simulacris virtutis subsistat. Mortem faciunt cum natura humana necessario copulatam, negantque peccati sequelam esse, hominesque, nisi auxilium supernaturale intercedat, miserimos, idque sine spe, reddere. Aufereandam mortem per resurrectionem mortuorum, iudicium super toto opere, quod subter sole peragitur a principio usque ad mundi ruinam, pro fabula habent. Ipsum vero Dominum nostrum, Iesum Christum, faciunt merum hominem, quin immo sui ipsorum similem Deistam, aut ad summum doctrinae moralis praeceptorem, qui morum doctrinam inter Iudaeos antea non aeque cognitam tradiderit, et suo exemplo firmaverit. In quo amplius notandum est, quantopere in talibus statuendis secum ipsi pugnent. Mirantur enim virtutem moralem Iesu Christi, vel certe admirationem illam prae se ferunt. Eundem tamen Iesum, excellentissimum virtutis exemplum, simul mendacem faciunt, nec sentiunt, quanta illi crimina adfingant. Potestne honestas esse in homine, qui se temere Deo equiparauerit? qui callide ad erroneas vulgi opiniones se composuerit? Doctrinam autem illi uniuerse longe aliam adfingunt, quam quae exstat in bibliis, ex quibus solis peti debere doctrinam et historiam Iesu Christi inficiari nequeunt. Nam apud auctores vulgo claflicos in scholis dictos ea non reperitur, quia superbi illi gentiles superstitionem Christianam, quemadmodum illi putabant, ne commemoratione quidem dignam iudicauerunt, scriptores autem ecclesiastici libros sacros supponunt, et normam esse agnoscunt.

Nolumus plura colligere. Vnum rogamus lectores nostros, annon isto modo, qui sapere sibi videntur, nouum fingant mundum, longissime diuersum ab illo, qui est? At vero, an propterea alius euadit? Quemadmodum superbi contemptores et persecutores Christianissimi olim impedire non potuerunt, quo minus euenirent, quae Iesus de Hierosolyma et de republica Iudaica itemque de suo grege praedixit, ignorabant enim veram faciem et dispositionem ciuitatis Dei, dum regnum coelorum, cuius Rex Iesus esset, vt Filius Dei, non agnoscebant; et quemadmodum haecenus efficere non potuerunt, vt propter deliria profana vel pseudo-christiana decursus rerum per omnia secula non responderet praedictionibus biblicis, iisque continuo nexu inter se iunctis: sic stultitia sua non magis efficient, vt animae illorum, postquam ex corpore excesserint, non deferantur in carceres, quos libri sacri definiunt, deinde recipiant olim corpora per diuinam Iesu Christi potentiam, Io. V. denique vt audiant eius sententiam, et vltiora sententiae decretoriae consequentia experiantur.

Quapropter qui *veram percipere cupit cosmologiam, adsciscat Scripturam S. eamque cum philosophia et historia humana diligenter etiam atque etiam contendat et compingat.* Sed qui mundo commentitio cogitando aduetus sibi sapit, et erroris habitu, inscientiaeque et voluntatis vi, turgidus obstinatusque est, repudiat ille quidem verbum diuinum, et in illo, quia suo cum systemate non consentit, vbiuis repugnantia reperire sibi videtur, sed ea in re egregie fallitur, seque et alios decipit. Interim facile fit, vt inter difficiles de religione dissensiones talis homo sibi tutius ire videatur duce solo naturalismo. Est vero credibile, illud frequentissime affectari pigritiae causa, etsi vniuersae causae multae esse possint. Quid enim facilius est, quam more nunc vsitato gloriari religione naturali? Nam quisque illam limitibus circumscribit, quibus ipse voluerit, et quidquid turpiter ignorat, illud philosophico vel critico supercilio contemnit, quoniam de veritate conuictus non sit. Bella sane et iucunda methodus! Aut fraus potius infelix, et seipsum decipiendi ars dupliciter noxia, quae auctori noceat, et dato late scandalo etiam publice damnosa sit. Quidquid enim contra christianam veritatem garriant, qui a recta via descedunt, nequeunt tamen ingenio aut scribendi audacia infectas facere res gestas, quibus diuina legatio hominum, quorum ministerio Deus se reuelauit, firma est. Liquet etiam, ab ipsis tali auctoritate firmatis hominibus disci oportere, qualis diuinitas sermonibus et libris illorum tribuenda sit. Similiter historia nihilo secius cum praedictionibus in sacris bibliis ad nostra vsque tempora consentit, quidquid contra moliantur obtrectatores, nec vquam deorum idonei iudices, qui id intelligant. *Crescit ergo, nunquam decrescere potest, euidetia verae illius et adaequatae cosmologiae, quae e verbo diuino petit, quae ex illo solo disci possunt et debent.* Cuiusmodi sunt, quae de origine, scopo et gubernatione mundi, nec non de rebus sensui nostro non subiectis, de rebus coelestibus et naturis inuisibilibus, ibi reperiuntur. Eas vero res cum naturaliter cognitis contendit, et ex cunctis hisce simul sumtis iudicia caute format. Eadem quoque sollicite discernit, quousque progredi liceat, vbi subsistere oporteat, quidque sit euident, quid verisimile, quid pro mera coniectura habendum, itemque quid ineptum, putidum, execrabile. *Est ergo vera cosmologia genus cognitionis mixtum, quod nec per solam philosophiam nec per Scripturam S. solam acquiritur, scilicet sin eousque excoli debet, quo perducere potest.* Nunc praemissis his et deductis facile ab vnoquoque, cui non laeua mens sit, intelligentur monita sequentia, quorum causa haec haecenus differuimus. *I. Vera cosmologia, quae adaequata, et ad recte sentiendum de vniuerso, quod vere est, nec non ad recte agendum utilis sit, non*

cerere potest religione reuelata. Quare quoniam ista infallibiliter et normative expressa est in libris canonicis Scripturae S. et hodierno tempore ex his solis peti potest, sacris bibliis accurate vtendum est. Ex utroque principio simul sumto, scilicet ex lumine rationis et reuelationis, existere debet genus illud mixtum cognitionis, quod veram efficit Cosmologiam. Cauetas etiam, ne putes, necessitatem reuelationis demum ex corruptione status humani probari oportere. Nam quidquid de hac necessitate recte dicitur, verum quidem illud per se est, neutiquam tamen illuc valet, ac si in statu integro reuelatio diuina nulla futura fuisset, etsi circa alia obiecta versari potuit. Deus locutus est Adamo, antequam peccauerat, itemque angelis ab initio locutus est et loquitur, atque futura vita beata neutiquam in sola operum Dei contemplatione versabitur, sed potissimum eminebit multo pleniore et perfectiore reuelatione diuina, quae coeptam in sacris bibliis continuabit et consummabit, ita vt memoria tenuium, initiorum post bona maiora tunc acquisita tanto gratior futura sit.

Hinc II. regnum Dei, seu regnum coelorum, est agnoscendum, quod inest in comprehensione omnium rerum in coelis et terris sub vno Domino, qui sit Filius Dei proprie dictus et vnigenitus, in quo sit simillima cum Deo et a Deo, vt Patre, natura ab aeterno, sed eadem assumens humanam naturam de progenie Adami. Quippe Adamus singularis Dei imago in sua natura et dominatione in terram, tamquam in peculiarem mundum ipsi subiectum, esse debuit. Genus humanum in Adamo, vt vno, a quo omnes sunt, censeretur. Exitium et mortis supplicium ab illo traxit, sed reuera constat ex hominibus, quibus, propter Dei de vnoquoque praeuisionem, tale systema natiuitatis ab Adamo congruum fuit. Filium Dei autem vt alterum caput generis humani accepit, per quem ad vitam beatam restituerentur, quotquot conuerterentur a peccatis ad Deum, et libenter acceptarent hanc Dei gratiam, qua per Filium Dei effectum est, vt sine indignitate peccatis illorum, pro quibus Mediator ille intercederet, venia dari posset.

Cum hac de regno Dei doctrina multae aliae connexae sunt. suamque dignitatem et cognitionis necessitatem ab illa habent, cuiusmodi sequentia sunt. Gradatim reuelata est Trinitas. Traduntur quaedam de systemate coelesti inuisibili. Instruimur de creatione et septiduo in exsequenda illa seruato. Docetur primorum hominum peccatum, quodque causa eius externa fuit spiritus, qui propterea posthac *κατ' ἐξοχήν* Adversarius dicitur, habuitque principatum in terra, et ea re robustus fuit, quod hominibus moriendi necessitas propter peccatum, ad quod auctor ipsis fuerat, imposita erat, donec a principatu illo per Filium Dei eundemque

demque hominis seu Adami filium deponeretur. Item declaratur, quibus gradibus, quo ordine id fiat. Exponitur etiam de angelis Satanae seu Aduersarii generis humani. Instituitur de morte hominum eiusque causis, inter quos mutatio terrae ipsius referenda est, eaque aliquoties aucta in deterius. Audimus, qualis sit vis corruptelae, quae a primis parentibus in progeniem manare coepit. Cognoscimus confilium Dei de morte mediatoris, Filii Dei, factaque per illam expiatione pro peccatis totius humani generis, de eius resurrectione a morte et accepta facultate mortis hominum omnino abolendae, atque efficiendae resurrectionis mortuorum omnium, habendi iudicii vniuersalis, beandi illos, quos suos agnoscit, damnandi autem reprobos ad communem cum Satana eiusque angelis poenam, quam luant, non vt animae corpore exutae, quemadmodum peccatum Adami mortem inuexerat, sed vt homines, qui expelli et excludi meruerint a bonis, quae per Filium Dei suis parata sunt, abeantque *εις ἀπώλειαν αἰώνιον*, vt perierint et exterminati sint in perpetuum. Malum illud reprobos pariter opprimit, quemadmodum antea mors animam perpetuo miseram naturaliter fecisset, quam ob causam illud mors altera vocatur. Idem Dei Filius noui systematis conditor erit post praesens consummatum, atque dispositionis rerum, quae deinceps aeterna sit.

Sic Deus per naturae suae attributum, quod sola reuelatione manifestari potest, nempe per triadem personarum, sui operis principium et scopus est, vtpote condidit totum opus per Filium suum et propter illum. Est vero ille cum naturis creatis ita copulatus, vt Dominus omnium, sui generis, vt peculii, etiam redemptor sit. Ad hoc Dei regnum tota mundi gubernatio refertur, quidquid inscitia vel inconstantia hominum contra dicat aut moliat. Sequitur autem vnaquaeque res, alia post aliam, eo ordine, qui in verbo Dei praedictus est. Breuiter haec iam in tabula exhibemus, nec dubitamus, dicta probantia facile in mentem ventura esse omnibus, qui non nimis Scripturae S. ignari sint. Sed dabitur alio loco copia, vberius rationem reddendi de praecipuis, quae nunc summam attingimus.

III. *Cum specialioribus, quae ad cosmologiam philosophicam et historicam accedunt per reuelationem diuinam*, quae reperitur in sacris bibliis, *reuera accurate consentit philosophia vniuersa*, dummodo ne precario sumtis superstruat, vel per paralogismos et sophismata incedat, sed veri nominis philosophia sit, *item historia vniuersa*, dummodo fabulae et mendacia separentur, nec res gestae ex incommodo visionis puncto spectentur. Dolose agunt, sed coram peritis turpiter se dant, qui philosophiam historiae crepant, quam christianae religioni opponant, Tuto contem-
nunt

nunt docti Christiani illas sive delirationes sive calumnias. Euenerunt summa euenta, quae prophetae praedixerunt, et quibus ciues suos illo solati sunt tempore, quum res illorum ad incitas redactae essent, quumque nihil minus probabile hominibus esse posset, quam idem illud, quod praedicebant. Exemplo sunt tot gentes Christianae, inter quas floret religio vere Sionitica seu Hierosolymitana cum interitu cultus deastrorum. Item exemplo sunt fata, quae pars mala Israelitarum et in errore obstinata haecenus experta est, quaeque a Mose praedicta, sed huic genti propria sunt. Quatuor regna characteristica, quae Nebucadnezari, per quem perituum erat Sioniticum Iehouae sanctuarium, praenotata sunt breuius, vberiusque Danieli manifestata, quibuscum ecclesia arctissime copulata esse debet, donec sublatis his, totus terrarum orbis fiat sanctorum possessio, annon praedicto ordine secuta sunt? Annon praesignificatae imperiorum mundi conuersiones euenerunt, ecclesiae autem, primum Iudaicae ante aduentum Christi, dein Christianae, hoc est vere Israeliticae, quae gentes possidendas accepit, acciderunt fata praedicta? Est etiam pars praedictionis adhuc futuro tempore implenda, et fuere praedictiones, quas dare reseruarum fuit Domino ipsi, de quibus Dominus Iesus, quamdiu ageret inter homines, aperuit tantum, quantum ferre posset aetas illa, sed ipse praedixit, quod plura reseruet, per mittendum in suo nomine a Patre Spiritum S. aperienda, qui de suo sumturus et discipulis Christi nuntiaturus sit. Atque complementa talia vere extare videmus in scriptis Apostolorum omnium; ἀκμήν vero et excellentissimum in illo genere in Apocalypsi Iohanni data reperimus, quam qui non agnoscat vel male habeat, nae is sui animi vitia prodit, et ostendit, se ad nexum rerum, quae extant in Bibliis, vel nondum satis recte attendisse, vel ineptum esse ad intelligenda tegni Dei mysteria.

Sunt tamen etiam de modo, quo futura praedici conueniens sit, cautiones notandae. Imprudentiae enim est, claritatem aliam poscere, quam quae vere est, nec agnoscere opportunitatem obscuritatis illius, qua in partibus prophetiae diuersis Deus vtitur. Nimirum sine illa ne quidem textus sacer inter persecutiones tyrannorum ecclesiae et profanorum hominum seruari potuisset, sed nec suo scopo accommodatus fuisset. Nam talis prophetia in vsum fidelium datur, et maxime in vsum difficilem temporum, non vt sit pabulum curiositatis, pomum Eridos, materiae literaturae vanae vel profanae. Qualis ergo et quam fallax erit opinatio de euentis futuris, qualis Cosmologia, quantum ad hanc illius partem, si ignorantur, aut si male peruertuntur, quae Deus de instituto suo praedixit? Decreta autem Dei an propterea non perficientur, si homines verbum eius negligunt? An errando alium efficiunt mundum, quam

qui vere est? Saepe scientia hominum, qui maxime obducantur per-
spicientiae factorum mundi ex sacris literis hauriendae, propemodum in
hoc solo posita sit, ut, quod sexcenti sui similes statuerunt, e libris il-
lorum enarrare possint? Repetita ergo figmenta an fierent veritas?

IV. *Frequenter boni homines, et a profanitate, haerese, fanaticismo, pro-*
fecto alieni, de doctrina S. Bibliorum nihil fere acceptant, et ad se per-
tinere autumant, praeterquam viam suae ipsorum salutis per Dominum Ie-
susum Christum. Monendi sunt tales, quod, quamquam pro captu suo in his
etiam bene acquiescere possint, propterea non existimare liceat, talibus acci-
piendis uniuersam Scripturae S. doctrinam recte accipi. Arripiunt dunta-
xat, quod ad se pertinere rati sunt, sed in ecclesia oues sunt, non pa-
stores. Quod si eripere Christianis reliqua suscipiunt, exponunt se pe-
riculo, quod de lupis laruaris instare Dominus praedixit. Nam Deus
in libris sacris mysteria regni sui aperuit. Est sane, cur gratulemur no-
bis, quod Rex Deus hominum Saluator vult esse, et dies noctesque no-
bis omnibus in eo elaborandum est, et est agnoscendum, hoc cum ma-
xime ad nos pertinere, ut in Christo simus, Deoque placeamus in suo
Christo, cui obtemperandum est. Sed nondum obeditur, quando par-
ticula verbi diuini maxime placens deligitur et sola retinetur. Quare
id quoque nondum sit sola disciplina morum excolenda, quamquam haec
quoque necessario requiritur. Persona Christi praecipue est recte agno-
scenda, siquidem in ea re positum est et peragitur opus Dei, quando
credimus in eum, quem Deus misit, id est in Filium Dei, quem ut Mit-
tendum libri Moysi sistunt, sed Filii Dei nomen posthac a Dauidis tem-
pore accesserat.

V. *Via ergo salutis humanae, quae in solo Iesu Christo est, agnosci*
debet, sed reliqua pariter negligenda non sunt, quae ad constitutionem ciui-
tatis Dei uniuerse spectant, quaeque angelos et homines, praesentia et
futura, visibilia et inuisibilia, amplectuntur. Utatur quisque pro sua
capacitate vel vocatione illis, quae ipsius captui vel muneri accommo-
data sunt. Sed omnia verbi diuini oracula religiose tenenda sunt. Ne-
cesse est hoc fieri Dei causa, cui hanc animi attentionem et obedientiam
debemus, sed et hominum causa, videlicet propter exercitatiores et acu-
tiores, qui de scopo et nexu uniuersitatis rerum quaerere solent, et sa-
tis prouisum illis est in sacris literis, si modo hae recte adhibeantur. E
contrario iactatae vulgo difficultates inde proficiscuntur, quod in locum
certarum notionum, quae multo aliter comparatae sunt, quando ex fon-
te sacro ipso hauriuntur, surrogari solent mancae et mutillae, vel pror-
sus ineptae, veluti quas modici philosophi formant, vel insipidi monachi
commenti sunt, sed ex quibus nunc aduersarii contra Christianos dispu-
tant tamquam ex principio indubitato.

Vti-

Vtinam ergo desistant obrectatores fidei Christianae, qui eam aperte impetunt, vel per cuniculos suffodere tentant, vel imprudentes in talium societatem veniunt, vtinam, inquam, desistant, mundum fingere, qui non est, et per regiones mundorum possibilem errando se ipsos decipere, et animum flectere ad inutilia, quorum ipsos deinceps poenitebit! Non enim reluctando aduersus Deum mutatur veritas diuina. Cogitent, quam futile sit, quod vulgo profani dicunt, non tyrannum faciendum esse Deum, quem omnes velint Patrem habere, quod quidem eo valere volunt, vt poenae diuinae propter veritatem oblatam, sed repudiatam, ipsis nullae metuendae sint. Omnis poena est discrimen consequentium, quod sequitur post diuersas actiones morales propter perfectionem legislatoris, quae non permittit, vt fructum eundem habeant recte maleue agentes. Qui Christum nolunt, exclusi erunt a bonis, quae manent fideles, qui Christi sunt, quorumque salus Christo est honori, cui illa debetur. Poena autem talium cosmologice bona est, neuiquam Deum inducit tyrannum. Homines Deum negligentes non assequuntur impossibilia illa bona, quae mentis errore sinxerant, nec eximuntur legitimo iudicio Dei, qui secundum veritatem iudicat, quamquam illud calumniabantur. Quomodo enim illud ea re tolli posset, si impudenter homines negant, et distractionibus in libidines vel negotia efficiunt, vt dormiat tantisper conscientia, quam necesse est reuiuiscere, quum ex corpore excelsent? At vero Deus scopum cosmologice bonum propterea non amittit. Perperam enim sumitur, Deum non alium scopum sibi propositum habere posse, quam vt omnes creaturas rationales ad felicitatem, i. e. ad voluptatem perpetuam, actu possidendam perducat. Dici debebat, scopum Dei, quando mundum condidit, in eo esse positum, vt rectissime omnia gubernet. Id vero fit, quando facientes voluntatem Dei ad communitatem aliquam beatitatis diuinae euehit, sed non item euehere etiam potest illos, qui voluntatem Dei non fecerunt. Quare quod hi non impetrant, quae pro suis cupiditatibus voluerunt, illud non durum est, non tyrannicum, sed stultum foret opinari, ad eandem metam pertingere, qui diuersas vias ibant. Ferant deinceps contemtores consiliorum diuinorum, quod conuenit talibus obtingere, nec in antecessum calumniuntur Deum, qui veritatem et iustitiam tenet, et regnum Filii sui, quod instituit ipse, etiam tuetur.

Multi nunc contra superstitionem declamant, quod neuiquam improbaremus, si recte fieret. Sed ipsum verbum diuinum, et doctrinas in illo fundatas, accensent superstitionibus. Quare etiam facilis ferremus querelas de superstitione, si tantummodo in ore pontificiorum essent, inter quos taedium prudentibus mouet vis immanis superstitionis apud plebem, sed iram pariter mala hierarchia, quae obuiam facile ire posset, nisi sibi ipsi metueret, at e contrario verbi diuini vsus tam parcus est, vt etiam, qui legisse illud prae se ferant, cum nostris hominibus nullo modo comparari queant. Sed longe aliud quiddam plerumque agitur, quando contra superstitiones declamatur. Veram enim impetunt religionem, et inter superstitiones numerant. Sunt etiam non pauci tirubantes, et crescente multitudine proteruorum, qui palam prae se ferunt profanitatem, vacillant, et instar calami, quem ventus agitat, huc et illuc circumaguntur, nescientes, quid pro certo sumere debeant, et an quidquam satis exploratum sit, quam ob causam ad scepticismum abripiuntur, quem commendant tolerantiae praetextu, quam cuiuslibet errantium familiae procurant, exceptis orthodoxis, quos solos traducere, persequi, conuiciis proscindere, fas esse dicunt. Rogamus ergo bonos viros, vt secum perpendant, sitne profanitas minus stulta quam

super-

superstitio? Item, annon profanitas, tollendis rationibus mouentibus ad recte agendum, quas profecto in theoria religionis inesse oportet, et sigillatim fugillando canone Scripturae sacrae; quo sublato inter dissidentes philosophos et male feriatos criticos vagamur, vniuerse peius de genere humano mereatur, quam superstitio? Haec enim tam varii generis et ponderis est, vt vniuerse de illa pronuntiari nequeat.

Maxime intolerabilis pars superstitutionis quibusdam est prophetia, quae exat in sacris Bibliis, sed cuius tenacissimos esse oportet bonos Christianos, non solum pietatis in Deum causa, verum etiam pro solamine. Quippe displicet illis, quod necesse est, bonam causam, sed ab illis desertam, triumphare, quando praedicta euenerint. Sed piis speciale antidotum contra *ὀλιγοπιστίαν* et seductiones est in oraculis propheticis, semperque veritas, quam in proxime praedictis euentus docuit, pro pignore fuit, quod aequae euentura sint, quae ad longinqua tempora pertinebant. Simul aliud etiam in propatulo est, prophetias verbi diuini ad intelligendam veram rationem decursus rerum in mundo magni ponderis esse. Quemadmodum qualis ille sit decursus, non licet cognoscere sine historia; sic rationes et nexu euentorum, quae historice innotescunt, vberius patent, quando cum verbo Dei contendi possunt, et quando ex hoc iudicari potest, quod certi casus propter speciales causas indicatas permittantur vel dirigantur. Hinc cultura historiae religioni verae semper prodest, siue ad hanc a colentibus referatur, siue minus. Prudentes, et qui in talibus rebus exercitati sunt, et videnda vident, omni apparatu historico bene vti possunt, quamquam aliud fortasse agant auctores, et ingeniosi adhibita fingendi licentia res gestas suo modo tractent, et nusquam videant prouidentiam diuinam, ideoque iis ad ampliandam verae et adaequatae cosmologiae notitiam vti non possunt.

Quanto itaque bono carent, qui verbo diuino vel destituti sunt, vel vti nolunt! Nos vero agnoscamus magnitudinem beneficii diuini, quo per reformationem ecclesiae, quae ministerio b. Lutheri contigit, cuius memoriae dies festus, quem indicimus, sacer est, vsus verbi diuini liberior restitutus est. Caueamus nobis, ne ingrati aduersus Deum simus, et summum hunc inexhaustae sapientiae thesaurum vilipendamus, aut de eo quidquam dimittamus. Impie hoc fieret, sed stultissime etiam, scilicet quia adfectando sapientiam contra verbum Dei non possemus non de rerum vniuersitate falsissime opinari. Est vero inter officia, quae verbum Dei poscit, non vltimum patientia et constantia. Pudeat omnes, qui vanae gloriolae cupidi a veneratione canonis sacri se dimoueri patiuntur, quando audaces homines contra illum calamo pugnant, et veros Christianos traducunt vt homines fegnes et stupidos. Quid de talibus expectes, si Deus etiam permiserit, vt contra verbum suum aliquantisper gladio pugnetur, vel aliis calamitatibus confessores exerceantur?

Pluribus de officio isto admonebit orator, quam producemus, V. Cl. M. ERNESTVS GVILIELMVS HEMPELIVS, qui lectionibus habendis, et sermonibus sacris, est enim e concionatorum vespertinorum nostrorum numero, dudum laudem meruit, et nobis probatissimus est. Aget in oratione festali de *tolerantia non malarum opinionum, sed malorum perpetiendorum, omni Christiano, et imprimis Theologo, necessaria*, quemadmodum Paulus docet 2 Tim. 2, 3. Ad quem audiendum Illustrissimos Comites, vtriusque reipublicae Proceres, Cives nostros Generosissimos Nobilissimosque, omnes denique rebus nostris et bonis literis fauentes, humanissime inuitamus. P. P. Dom. XIX. p. F. Trin. A. N. G. CIO IO CCLXXXII.


Fe 3031

S

N.C.







D. CHRIST. AVG. CRVSI
M O N I T A
D E
C O S M O L O G I A V E R A
E T
A D A E Q V A T A.

P V B L I C E P R O P O S I T A
D I E M E M O R I A L I R E F O R M A T I O N I S E C C L E S I A E

A. N. C. C I O I O C C L X X I I .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .